

**Dissertatio inauguralis medica de transpiratione cutanea hominis, sanitatis praesidio, morborum causa, et victrice ... / [Jacob Andreas Weber].**

**Contributors**

Weber, J. A. 1741-1792.  
Gmelin, Philipp Friedrich, 1721-1768.  
Universität Tübingen.

**Publication/Creation**

Tubingae : Typis Erhardianis, [1760]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/abxtvwvx>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**TRANSPIRATIONE**  
**CVTANEA HOMINIS,**  
**SANITATIS PRAESIDIO, MORBORVM CAVSA,**  
**ET VICTRICE**

---

QVAM

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO

**IO. CAROLO LUDOVICO,**  
COMITE PALATINO RHENI,  
VTRIVSQUE BAVARIAE DVCE rel. rel.

PRAESIDE

VIRO

EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

**PHILIPPO FRIDERICO GMELIN,**

MED. DOCT. BOT. ET CHEM. PROF. PVBL. ORD.  
SOCIET. REG. SCIENT. LOND. ET GOETTING. SODALI,

AD CONSEQVENDOS

SVMMOS IN MEDICINA HONORES

D. FEBRVAR. A. MDCCCLX.

PUBLICE DEFENDET AVCTOR

IACOBVS ANDREAS WEBER, *Bietigheimensis.*

---

TVBINGAE, TYPIS ERHARDIANIS.

Medicus Naturæ Minister, & Interpres, quicquid  
meditetur & faciat, si Naturæ non obtemperat,  
Naturæ non imperat!

GEORG. BAGLIVI, Oper. omnia Medico-Practica  
& anatomi. Lib. L P. I. Cap. I. monita §. I.



## PRAEFATIO.

**Q**uotuplex eheu! est Medicorum sententia, & quotuplex eorum medendi Methodus! Vide-mus, si practicos libros euoluimus, quemuis fere habere suam propriam Methodum, attamen se naturæ Ministros dicunt omnes. Alii enim omnem Pathologiam, quoad ætiologiam, a stricto & laxo repetunt, alii sunt Galenici, alii chemicis magis indulgent, alii acidum, viscidum & bilem pro morborum causa habent, aliis acidum & viscidum sufficit, aliis alcali & acidum morborum causa est, aliis anima morborum est procreatrix, alii Mechanismum in Medicinam inferunt, alii sunt eclectici. In praxi pariter sunt diuersissimi, dantur, qui Venæctionem diuinum esse remedium dicunt, alii autem, illam omnino esse fugiendam suadent, sunt, qui corticem chinæ chinæ cedro digniorem æstimant, alii rurus illum cane peius & angue fugiunt; ita, ut haud dissimiles sint peregrinantibus, quorum alter dextra versus, alter



autem sinistra versus excurrit, quamuis quilibet unum eundemque petat locum. Sed prætermitto sexcenta alia, quæ possent incomparabilem hancce scientiam reddere suspe-  
ctam, si abusus posset auferre usum. Hinc in hoc Laby-  
rintho Medicus iuuenis omnino a vera via aberrare potest,  
nesciens enim, quem sequi conveniat, multa in usum vocat  
remedia, quæ ad veram praxin non quadrant, quam tur-  
batus ideo, quam infirmus & inconstans in præscribendis  
formulis, in primis, si morbus ipsi est ignotus, aut alio sym-  
ptome stipatus, aliter, ac in practicis libris descriptus est.  
Ideo mirum haud est, si talis Medicus vel naturæ succur-  
rere nescit, vel, quod peius, illam in salutaribus motibus  
turbat, sistendo heic sinistre diarrhoeam, ibi vomitum,  
alibi hæmorrhagias, criticumque sudorem, aliasque erro-  
res committit; ita, ut melius fuisset, si nullo Medico usus  
esset ægrotus. His ego Medicis cum celeberrimo F R I D.  
H O F F M A N N O (a) suaserim, si proximam & veram morbi  
causam, eiusdemque genus, nomen & historiam ignorant,  
non remediis incertis vti, sed potius tunc temporis eo niti,  
ut semper saluberrimam Transpirationem conseruent libe-  
ram, depresso resuscitent. Hac enim Methodo eui-  
tantur errores, naturaque in suo motu non interrumpitur,  
& æger teste experientia beneficio naturæ horumque me-  
dicamentorum feliciter reconualescere potest. Hoc est,  
quod excitauit me, ut dissertationem scriberem de Trans-  
piratione, obseruatu valde necessaria in praxi. Non ignoro  
quidem virium exiguitatem, sed malui dissertatiunculam  
meam proprio marte contexere, quam aliena ope vtendo alie-  
na pro meis venditare. Benevolus autem Lector ne seueriora  
ineat iudicia, sed vt ætati aliquid indulgeat, enixe rogatur.

§. I.

(a) Fundament. Medicinæ de cautel. practicis c. 7. §. 55.

## §. 1.

**S**anior nos Physiologia docet, semper cibi potusque materiam, quam sumimus, magna parte iterum e corpore nostro expelli, & tali quidem modo, ut partim per aluum, partim per renes abeat, inde plus quam dimidiā partem restantem in sanguinem abire; in vasis autem hanc remanere, vel apponi omnem vero cum simile non sit, necesse est, ut alium habeat etiam exitum, qui, si cutis historiam recensuerimus, sponte patebit.

## §. 2.

Cutis integumentum est totius corporis, robustum, fibrillis tendineis mirifice sibi inticem implicatis constans, vasis copiosissimis sanguiferis (*b*) & nervis gaudens. Exteriori eiusdem superficie impositum est corpus reticulare Malpighii, & cuticula totam cutis extensionem sequens, membrana squamosa, (*c*) vasa sensum fugientia, nec vlla subtilissima RVY SCH II iniectione detecta, foraminulaque innumera, quæ vasorum oscula sunt, & sub nomine cutis pororum veniunt, habens: mittendo iam alias cutis partes, quia huc non pertinent, hæ solæ nobis sufficere possunt.

## §. 3.

Ex his præmissis haud difficile est dictu, cui usui destinati sint dicti pori, & quare calefactis erumpens sudor Transpiratio maior vocetur? Est enim Transpiratio perpetua in statu sano humoris aquei, salini & pinguis vaporosa emissio, quæ si mediocriter & vix movemur, insensibilis est, & Transpiratio Sanctorianæ, si autem corporis motus vel externus vel internus validus est, tum sensibilis est, & sudor audit; crassiores sudor secum vehit particulas,

(*b*) RVY SCH. Epist. Tab. XVII. Fig. 2.

(*c*) HEISTER compend. anat. p. 57.



culas, quam insensibilis Transpiratio, & interdum utiliora secum e corpore aufert. Illam experimentum manifestat, quo, si brachium, seu pedem sicco vitro immittimus, illud madefieri videmus, hanc vero, utpote per se crassiores, copiosiores, sensus arte adiuti nulla obseruant.

#### §. 4.

Quod dentur & pori reuehentes seu resorbentes, ut proxime vidimus exhalantes, nonnullis probari potest experimentis. 1) hanc Inspirationem (vt ita loqui liceat) cutaneam extra dubitationis aleam ponit experimentum illud, cum mercurio viuo, qui cum vnguento mixtus, foris inundatus ad interiora vergit. 2) Si oleum terebinthinæ regioni hypogastricæ applicatur, urinam ciet. 3) Cantharidum extus applicatarum tantum tristissima saepe energia in vropyceis. HIPPOCRATEM ipsum hoc non latuisse, testatur assertum: (d) quod uniuersum corpus exspirans & inspirans sit.

#### §. 5.

Sciendum quoque est, dari perspirationem internam, in abdominis, Thoracis, intestinorum, & aliis cavitatis. Expirationem hanc internam autopsia docet, si corpus recens mortuum aperitur, illud vaporem emittere videntur, taceo experimentum illud, si anhelitum in speculum exspiramus, illud madefieri omnibus notissimum. Pariter probari possunt imbibentia oscula: Si enim cani in abdomen apertum aqua tepida iniicitur, post aliquot dies nulla amplius visitur aqua, inde coniici potest, hydropem haud ex alia causa oriri, quam quia imbibentes pori obstructi suo munere fungi nequeunt. Pulcherrima etiam est

(d) Lib. Epid. VI. Sect. VI.

est annotatio in Tomo secundo librorum de physica Patris REGNAVLT: Democrite tout cassé de vielleſſe, hors d'état, de prendre des nourritures solides, ayant observé sur le visage de sa ſœur, le Chagrin qu' elle avoit , de le voir mourir, durant les fêtes de Céres, il l'avertit, de ne fe point chagriner, qu'elle fe pouvoit trouver aux ceremonies publiques, & qu'il prolongeroit fa vie jusqu' après les fêtes , pourvuue que chaque jour on lui donnât du pain chaud , on le fit , & il tenoit parole. Il fe nourroit trois jours en respirant ſeulement les corpuscules, que le pain chaud exhaloit, & que la respiration diſtribuoit dans un corps languissant. Solidissime inprimis hos poros demonſtravit , KAAW BOERHAVE in aureo libello (e) ut in caua, inquit, arteriæ vltimæ exhalant, ita venæ ſunt patulæ , quæ emiſſum humorem ex iis reſorbent.

### §. 6.

Redeamus autem ad Perspirationem cutaneam ! Causæ, quibus illa peragitur , ad duas redigi poſſunt conditiones, primo nempe : pori debent eſſe aperti ; deinde humores ita debent eſſe conſtituti, vt in toto noſtro corpore circumuehi , & ad cutem vsque pelli poſſint. Has autem a ſex rebus, quas vocant, nonnaturalibus, poſita integritate ſolidorum corporis, plurimum pendere, ſane nemo negabit.

### §. 7.

Sicut enim uſus beneficio harum ſex rerum nonnaturalium vitam & sanitatem ſeruare & protrahere poſſumus, pariter etiam abuſus infinita corpori inferre potest mala , quæ ſolidorum vim ac naturam , humorumque miſcelam, mutando, deprauando, deſtruendo Transpirationem laedunt.

Trans-

(e) Perspiratio dicta HIPPOCRATI per vniuersum corpus anatome illuſtrata.



Transpirationem autem & sanitatem pari passu ambulare, nisi plus mingatur solito, experientia ipsa testatur. Inde PRIEMEROSIVS scribit (*f*): vix fieri potest, ut ille, cui corpus bene transpirat, in morbos grauiores & periculofiores incurrere possit. HIPPOCRATES illos quidem, quibus corpus bene transpirat, imbecilliores, sed salubriores vocat. Latex enim expellendus, in corpore retentus in alia ruit loca, vti modo memoratus HIPPOCRATES scite scribit (*g*): Quicquid ab excretione cuticulari intus remanferit, non solum corpori laborem exhibit, sed etiam ei parti, quæ humiditatem suscepit, hinc versiculus Scholæ Salernitanæ:

Si fluat ad pectus, dicatur Rheuma Catarrhus:  
Si ad fauces, Branchus, si ad nares, esto Coryza.

Non solum hæc, sed & febres intermitentes, continuas, putridas, Diarrhœas, morbos epidemicos, peripneumoniam serosam, pleuritidem spuriam, dentium auriumque dolores, tumores, dolores arthriticos, asthmata, tusses, lippitudines, & id genus alia teste experientia producere valet: si autem excessu delinquit, tum corporis debilitatem, animi deliquia, inflammationem, febrem, putrefactionem, voracitatem, mortem ipsam creare annotat BOERHAVE (*b*).

### §. 8.

Vt vero videamus, quanta sit sex rerum nonnaturalium in corpus nostrum agendi potestas, & quomodo possint deprauare hanc in primis excretionem, initium faciemus a cibo & potu, qui qualitate & quantitate peccare possunt. Cibus enim vappidus, viscidus, concoctu difficultior, crudas

par-

(*f*) Lib. 3. de vulg. error. C. 3.

(*g*) Lib. II. de Diæta, §. 31.

(*b*) Institut. med. §. 766.

particulas sanguini immittit, quæ ad arteriolarum extremitates vsque delatæ illas obstruunt, varie acris vasa stimulat, humores attenuat, pinguis autem occludendo poros aqueo humoris exitum denegat. Nec minus faccharata, quibus hoc tempore hominum plurima pars maxime indulget, magni heic sunt momenti, de his eleganter FRID. HOFFMANNVS scribit (*i*): „Neque ego aliam rationem coniicere possum, cur in illis locis, vbi hæc alimentorum genera quotidiani fere usus sunt, & albus fluor & purpura familiarissime in fœminas incident, & in illis etiam locis iam regnare cœperint, quæ ante aliquot lustra plane ab hisce affectibus erant immunia, id frequenti sacchari usui in potu Thee, Coffee adscribendum esse puto. Qualis enim vietus, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis, & qualis hic, tales etiam excretiones. In quantitate peccat cibus, si ventriculo plus immittitur, quam coquiendo par est, atque in plenum adhuc ventriculum rursus ingurgitantur cibi, nec corpus fortiter mouetur, tunc ut cruditates oriantur, eademque accumulentur necesse est, quæ ingressæ secundas vias, obstruendo minimas arteriolas Transpirationem deprauent. Inde quieti assuetis aureum illud HIPPOCRATIS dictum valet „non satiari cibis, & impigrum esse ad labores, sanis autem & laboriosis cibos crudiores nihil nocere experientia docet quotidiana. Potus vero quantitas non adeo nocua est, quam cibi. Eius qualitates noxiæ ad duas redigi possunt; infestat nempe ceu viscidus, ceu calefaciens, prior eosdem causatur morbos, ac cibi eiusdem generis, hic vero eos, qui ex nimia Transpiratione quodammodo emergere possunt. Excessu ac defectu pariter delinquere potest: si excedit, insensibilem quidem perturbat,

sed



sed sensibilem Transpirationem promouet, insufficiens autem fluiditatem humorum auferre potest.

§. 9.

Motus si defectu peccat, & §. præcedente dicta una adfunt, Transpirationem prohibere maxime valet, inde mala ex prohibita Transpiratione, vti in §. 7. Quodsi vero motus excessus est, morbi vt per nimiam Perspirationem prodeunt.

§. 10.

Somnus, vigiliæ, vtraque modum excedentia mala, vt HIPPOCRATES inquit (*k*): Vigiliæ nimiæ corpus maxime debilitant, & annotante BOERHAVIO, maciem, febres, deliria, tristitiam, inquietudinem &c. prouocare possunt (*l*), quia Transpiratio duplo minor est, quam in somno, inde Poëta cecinit:

Quod caret alterna requie, durabile non est,  
Hæc reparat vires, fessaque membra leuat.

Somnus enim, corpus nostrum conseruandi magna pollet virtute, de quo eleganter scripsit GALENS (*m*): „Per somnum pernicioſæ corporis partes auerruncentur, debilitata cuiusuis partis virtus restauretur, vniuersi corporis partes competente alimento nutriantur „ In somno tranquillo, nec denudato corpore facto, duplo plus nos transpirare, quam in vigilia annotauit Sanctorius, magnus ille Medicinæ Staticæ Auctor (*n*). Neque vero soli somno hoc adscripſerim; sed aëri potius calido, in quo homo tunc temporis versari dici potest; audiēmus quoque aërem calidum Perspirationem promouere. In alio enim loco, in quo non tegumento

(*k*) Sect. III. Aph. 3.

(*m*) Libr. de meth. med. §. XII.

(*l*) Instit. med. §. 668.

(*n*) Sect. IV. Aph. 70. Med. stat.

mento circumvoluitur dormiens, multo minor est illa, hinc patet usus e tegumentis, quibus noctu circumdamur, & noxa e denudatione in primis, ut plurimorum mos est aestate, quia nox die saepius est frigidior. Qui igitur somni usum callet, cur nocivus sit, non ignorat, si minor est solito. Nimirus autem vim solidorum auferendo Perspirationem imminuit, vti SANCTORIVS expertus est (*o*). Vigiliarum excessus atque defectus lege oppositorum ex modo dictis de somno diiudicari potest, ergo fusori non opus est explanatione.

### §. II.

Nec mintus animi pathemata locum heic sibi vendicant, quorum duo sunt genera, huc pertinentia; sunt vel humores validius commouentia, ut nimia laetitia, ira, unde morbi vt per nimiam Transpirationem propullare possunt; vel sunt, quae solidorum, fluidorumque motum languidiorem reddunt, ut timor, tristitia, amor non e voto succedens, quae morbos ex Transpiratione imminentia emergentibus similes excitare possunt; horum vero noxam maiorem esse, quam nimiæ corporis quietis, ait SANCTORIVS (*p*): „nimia, inquit, animi quies magis prohibet Transpirationem, quam nimia corporis. Ex hisce facile patet, quanta sit timoris & tristitiae noxa morbi contagiosi tempore, & contra hilari-tatis usus in iisdem. Ipsa enim testatur experientia, illos plerumque peste corripi, qui ab illa maxime abhorrent.

### §. 12.

Pariter notatu digna sunt illa, quae sub nomine excretorum & retentorum veniunt, ad priorem classem numerari possunt, feces, vrina, menses, haemorrhoides, & ipsa Transpiratio

(*o*) Sect. IV. Aph. 70.

(*p*) Sect. V. Aph. 15.



pirationis materia. Ad posteriorem referuntur, sperma, sanguis, saliuæ, aliaque. Hæc si nimis excernuntur, utilem Transpirationem prohibent. Alius solito laxior humores ad intestina attrahit, vrinæ, saliuæ, seminis, sanguinis &c. excretio nimia illam turbant, non solum, quia humores ad aliud locum deriuantur, sed etiam, quia, si excretio nimia est, & vasa nimis euacuantur, resistentia perit, quæ necessaria est, quoniam vis agens & reagens æquales sunt in statu naturali. Quod si autem vis reagens humorum humoribus minutis etiam minuitur, solida quoque vim agentem amittunt, ita quidem, ut non amplius ac antea, humores satis valide, & ad omnem peripheriam possint protrudere, id quod tamen ut fiat necesse est, ad excitandam Transpirationem.

### §. 13.

Nunc ad aërem, illud vastissimum fluidum, quod omnia replet, quin & compactissimis inest corporibus, cuius tres numerantur regiones nonnullis Physicis v. g. SCHEVCHZERO in Physica (q). Aër elasticitate & grauitate gaudet: sine illo viuere nequimus, sine illo nullus sonus, nulla loquela, nulla respiratio, nullus odor, nullus auditus, &, ut paucis multa complectar, mors animalis & plantæ existeret. Aërem secundum suas proprietates diuido cum aliis in frigidum, humidum, calidum, siccum, & in compositum, qui simul est frigidus cum humido, seu sicco, & calidus cum sicco, seu humido. Porro eum diuido respectu hominis in externum, qui illum ubique tangit, & internum, qui humoribus inest, teste Antlia pneumatica. Certe hoc maxime est opus, quia alias, si corpori non inesset aër, eiusdem vasa comprimerentur ab aëre externo, & nos ipsi,

(q) Physic. Part. II. pag. 16.

ipſi, niſi huic preſſioni externæ internus aër reſiſteret. Ideo aëris aetio & reactio ſemper debet eſſe æqualis, ſi vero æqua-  
litas tollatur, neceſſe eſt, ut alteratio in corpore noſtro ori-  
atur, quemadmodum inde quandoque homines ipſi hoc ſen-  
tiunt, ſi dicunt: Sie haben einen Calender am Leib, ſie  
wiffen gleich, wann das Wetter ſich ändere; oder, ſie  
ſeyen ſo müd, ſie wiffen nicht, warum, es werde bald ein  
Wetter entſtehen u. d. g. denique etiam in grauiorem, &  
leuiorem illum diuido. Adeoque aëre variante, etiam  
quodammodo variari actiones annotauit HIPPOCRATES (r).

### §. 14.

Frigus, ſi nimium ſit, fibras conſtringendo, & ceteris pa-  
ribus meatus occludendo Transpirationem, niſi motus ac-  
cedat, imminuere, ſatis conſtat. Periculosior autem eſt aër  
humidus, hic fibras laxat, vaporesque aquosi in hoc aëre  
contenti, exhalationi transpirandi liquoris reſiſtere poſſunt,  
idque eo magis, quia, iuxta experimenta §. 4. dantur reſor-  
bentes pori, qui aquosum laticem reſorbere credi poſſunt.  
Æquales morbos cum priori facit. Si ſimul eſt frigidus &  
humidus, non minus valet Transpirationem prohibere.  
Inter omnes vero aër humidus & calidus infenſiſſimus cor-  
pori noſtro eſt iuxta plurimorum practicorum annotatio-  
nem, ita ut putredinem humoribus inferre poſſit talis aër,  
vti HIPPOCRATES annotauit (s): „Pluuias diuturnas ſecu-  
tam eſſe peſtem, ſub cuius ſæuitia quibusdam incolis, pedes  
& brachia deciderint. Pariter placuit illud illuſtris VAN SVI-  
TEN aſſertum, in commentariis ad Boerhauii aphorism. (t) ita  
ſcribentis: Si autem humiditati aëris magnus calor iungatur,  
ſub-

(r) Lib. de flat.

(s) Lib. III. Epid.

(t) Tom. II. pag. 122.



subtilissima putrefactio oritur, vti patet in carnibus animantium mactatorum, quæ tali in aëre vnius alteriusue diei spatio in tabum putridum diffluunt. Ratio etiam in promptu est, quoniam aér humidus humorem transpirandum retinet, sit vel illo modo, quem supra stabiliuimus, vel iuxta WOLFII sententiam, in eius vernünftige Gedanken von den Absichten natürl. Dinge, (u) vbi ita scribit: „Man hat zu erwegen, daß Menschen und Thiere in einer feuchten, mit Dünsten angefüllten Luft nicht so wohl transpiriren, als in einer reinern, weil nemlich die Luft nur einen gewissen Theil von Dämpfen annimmt. Calorem autem ad putrefactionem humores disponere Chemia docet, maxime autem vrinam ocyssime in putrefactionem abire, quidni transpirandus latex, qui maxime ad eius naturam accedit? Propterea mirum haud est, si talis aér adeo formidandus. Restat siccus atque æstuans, hic vero illo validior est in colliquandis humoribus, iisdemque fluidioribus reddendis, & volatilioribus dissipandis, dum remanentes partes inspissat, adeoque meatus obstruit, vnde inflammatoriæ febres &c. Siccus aér quodammodo eosdem causari potest morbos ac æstuans, teste BOERHAVIO (v). Hic vero me iudice magis siccioribus nocere potest, atque semper subiectum distinguendum est, v. g. æstuans & siccus phlegmaticis non adeo nocere solet, quam siccioris temperamenti hominibus.

### §. 15.

Nunc iuuat, aliquid de aëris mutationibus dicere, quæ haud minimi sunt in alliciendis morbis momenti, scilicet præcipue morbosa est mutatio subitanea calidi in frigidum, v. g. si dies tempore æstiuo calida est, & nox frigida illam

sequitur,

(u) Cap. II.

(v) Instit. med. s. 149.

sequitur, si tunc temporis homines ob æstum diurnum se noctu denudant, mane ægreduntur, vexantur enim plerumque tussi, diarrhœa, Rheumatismo, aliisque. Pestilentissima autem est humidi mutatio in calidum, in primis, si aliquot septimanas iam ille durauit, is eadem mala excitare potest, vt, aër humidus & calidus, quæ supra annotauimus. Subita enim mutatio nunquam est bona, sic annotante HIPPOCRATE (w). Hæ autem aëris vicissitudines semper autumno & vere fiunt, maxime mense aprili, qui adeo varians est, vt modo aër serenus sit, modo pluat, modo ningat, modo calidus, modo rursus frigidus sit aër, quod ne vulgum quidem latet, hæcque vna die contingere possunt omnia. Autumnus fere eadem meteora habet, cui adhuc fructuum horæorum abusus accedit.

### §. 16.

Ex hisce facile patet, cur autumnus adeo sit morbosus, cur febricitantibus, in primis quartanariis adeo infensus, ita vt ad æstatem vsque febris perduret. Cur podagricis & cacochymicis adeo insalubris, cur propriæ fere illi febres intermitentes, coryzæ, raucedines, catarrhi, tusses, arthritides, & eiusmodi ex mala Transpiratione orti morbi, cur veri synochæ, catarrhales febres, morbilli, variolæ, lippitudines, rheumatismi, peripneumoniæ, serosæ, pleuritis sputria, aliaque epidemica mala, cur hyemi morbi ex imminuta Transpiratione, peripneumonia, pleuritis, & fere eadem, quæ §. 7. denotata sunt, tandem, cur æstati maxime febres inflammatoriæ, acutæ, biliosæ, & id genus alia sint, teste Experientia. Porro etiam prono fluit alueo, quare affectus ex mala Transpiratione sæpius æstate soluantur, & remittant,

(w) Sect. II. Aph. 51.



mittant, & quare podagrīcīs, cacochyūcīs, hypochon-  
driacīs æstas conueniat; contra autumnus illis noceat, quare  
quævis anni periodus proprios morbos, qui aliis magis ho-  
mines inuadunt, habeat. Pariter morbos castrenses, vt diar-  
rhēam, dysenteriam, epidemice s̄auientes, febres petechia-  
les, petechizantes Transpirationi impeditæ s̄aepē adscribere  
possimus; me quidem non latet, viētum & potum magnam  
habere vim humores deprauandi & inquinandi, sed s̄aepius  
peccant, visciditatem, vel acrimoniam & inspissationem illis  
inferendo, quarum ope Transpiratio vtilis læditur. Cui  
etiam aëris inquinamentum tunc temporis accedit.

### §. 17.

Multum igitur ab eius libertate sanitatem æque ac longæuitatem pendere, cui omnes mortales adeo indulgent, non negauerim. Patet, si perpendimus: 1) Quod homines laboriosi, quibus Transpiratio semper bene succedit, optime aliis valeant, & diu viuant, id quod Dn. de **BUFFON** in historia sua naturali indirecte confirmare quoque videtur (x), eius verba hæc sunt: „befindet sich etwas merklicher Un-  
terschied in der Dauer des Lebens, so kan es von Beschaf-  
fenheit der Luft herkommen, man bemerkt auch, daß in erhabenen Ländern mehr alte sind, als in ebenen und niedern; & alibi in eodem Tomo: „meistentheils sind Ar-  
beitsleute, als Jäger, Bauern ic. sehr alt worden. Quia in locis sublimioribus, aër purior, leuior, nec adeo va-  
rians, ventis semper purificatus dominatur, adeoque Transpiratio melius succedere potest, quam in vallibus,  
hoc etiam **TEICHMEIERVS** affirmat (y), ita inquiens:  
„Hinc loca sublimia sunt saluberrima, ibique nulla pestis,  
nullæque

(x) Tom. II. pag. 266.

(y) Element. philos. pag. 170.

nullæque febres contagiosæ, non solum, quia aëris inquinamenta non adeo alte per aërem feruntur, sed &, quia Transpiratio melius succedit, vt supra diximus. 2) Quod experientia quoque doceat, homines in locis aquosis, paludosis degentes sæpius ægrotare, & plerumque morbis ex mala Transpiratione ortis corripi, vti LENTILIVS etiam in epistolis ad Lancisium annotauit, scribens, quod ad muros Stuttgardiae olim fuerit stagnum amplissimum, & ob hanc causam infamis a multis annis illa ciuitas, quia incolæ semper fuerint vexati febribus, donec illud stagnum fuerit exsiccatum, ratio, quia homines in aëre humido, exhalationis illius stagni ope, versati erant. 3) Quod pestis tempore ii, qui bene transpirant, nec timent, liberi euadant. 4) Quod iis, qui loca maritima incolunt vt plurimum, scorbutus familiaris. 5) Quod senes plerumque cacoehymici fiant, & maxima pars ob humorum corruptionem pereat, vt hydrope, marasmo senili, tabe, & aliis eiusmodi, nec sine ratione hoc est; nam in senectute solida fiunt sicciora, durioraque, fibrarum motus imminuitur, vasa rigidiora fiunt & angustiora, inde humores non vt antea circumagi, & per capillaria vasa pelli queunt, id quod adeo necessarium est ad impuritates expellendas, quæ, si sanguini immissentur, illum destruunt, ergo morbi ex cacoehymia & mors necessaria, cum quo etiam BAGLIVIUS consentit (z): „Mors, ait, naturalis venit ob ariditatem, exsiccationemque solidorum, & falsedinem atque vappiditatem liquidorum. Solidis medetur balneum tepidum, & liquidis insensibilis Transpiratio. Si enim hæc obstacula possit auertere homo, illum quoque ad longiorem vitam accessurum esse, mihi

(z) Canones de Medic. solidor. can. XX.



mihi facile persuaserim. Hoc autem a vitæ ratione maxime pendere, nemo negabit. Plura non addo, quoniam Transpirationis usus in conseruanda sanitate, & in vita protrahenda iam ex sex rerum nonnaturalium pertractione liquet.

### §. 18.

Nunc quoque videbimus, quanta sit Transpirationis virtus? ex ipsa praxi. Jam laudatus BAGLIVIUS (<sup>a</sup>) ait: „Statice Sanctioris, & circulatio Harueiana sunt duo poli, quibus vniuersa regitur veræ medicinæ moles. Medicus iuxta celeberrimi Stahlii sententiam debet esse naturæ minister, & optime suo hic fungitur officio, si eiusdem motus & mendendi methodum imitatur. Quodsi autem hos motus intuemur, illam eo niti vidimus, vt morbosam materiam coquendo, ad eliminandum aptiorem reddat. Vti autem hæc pepsis fit per sudorem, ita is in paucis morbis damnari potest, & teste celeberrimorum practicorum experientia eo nihil præstantius est in peste, in gallico morbo, in acutis & chronicis; in ipso sudore anglico, qui est morbus acutus cum vehementissimo sudore coniunctus, lenis tamen sudor omne curationis punctum absoluit, dum potius coniicere liceret, sudorem tali in morbo nullum inuenire locum, quasi quis ignem igne extinguere vellet, quod autem Medicorum rationi contradiceret. At sudorem largiorem die critico factum perfectam esse crisin, & hanc plerumque per sudorem fieri, præcipue in regionibus calidioribus, experientia testatur. Vt autem Transpirationis virtus e clinica praxi melius liqueat, nonnullis eam casibus liceat illustrare specialibus.

### §. 19.

(<sup>a</sup>) Canon. medicinæ ad rectum statices usum, canon. X. pag. 476.

## §. 19.

I. Fœmina quadraginta annorum, post puerperium in febrem incidit inflammatoriam, ob placentæ frustuli in vtero retentionem, huic febri, breui post, purpura accessit. Medici consulti Venæsecionem instituerunt, sed statim purpura euanuit, sine alia data occasione, ægræ sua retrocessione anxietatem præcordiorum summam, & conuulsiones, quamuis leues creans. Hæc autem in sciis Medicis sibi iubebat dare aliquot lapidis bezoar orientalis grana, his sumtis lecti tegumentis se circumvoluebat, & per sudorem, quem regimen excitabat, remittentibus rursus symptomatibus, redeunte in cutem purpura, nona die huius regiminis dia-phoretici beneficio lectum relinquebat.

II. Analogum, euentu licet diuersum casum in virgine vidi sanguineo-cholerici temperamenti, quæ ob Mensium suppressionem, iram validam insecura, febrem acutam inflammatoriam experiebatur, cui purpura rubra superueniebat. Medicus sine mora iubebat venam secare, sed infausto cum euentu, mox enim recedente purpura breui post in conuulsionibus mortua est virgo.

III. Virginī sedecim annorum variolis afflīctæ, tempore eruptionis superuenit mensium fluor, in quo exanthesma retrocedebant, & virgo mortem obibat.

IV. In pago sœuiebat febris acuta, epidemica, purpurea, ex quadam causa occulta orta, & pauci hominum illam effugerunt. Medicus ordinarius vocatus, nimium refrigerantium usui indulgebat, v. g. nitri depurati & antimoniat in pulueribus, & nitri tabulati etiam in potu, quod sanandi genus aluum liquidiorem reddidit, nec illud HIPPOCRATIS dictum perpendit Medicus, cum dicit: „Alui



Iaxitas, cutis densitas, cutis raritas, alui densitas, sed potius illud cordi erat, quod præcipit HOFFMANNVS, in purpura nihil magis noxium esse, quam si Medici aluum aperire nolint. Purpura igitur ob imminutam Transpirationem non rite prodire potuit. Inde factum est, vt pauci illorum reconualuerint. Ægri quasi desperantes alias Medici implorabant auxilium, cuius methodus hæc erat: primo, scopo vomitorio, scrupulum vnum seu drachmam dimidiā radicis hypcacuanhæ dedit, quæ dosis bis vel ter ciebat vomitum biliosum, id ante purpura, quam aderat, factum est. Postea conabatur aluum tenere clausam per sex vel octo dies, in mixturis & pulueribus omittebat nitrum, cuius loco maluit diaphoretica & infusa calida copiosa, vietus erat tenuis e iusculis carnis, nec Venæctionem instituit, nec temperamentum, idiosyncrasiam, sexum, ætatem, vitæ rationem &c. distinxit, sed omnibus vnum idemque adhibuit medicamentum, cubile nec nimis erat calidum, nec nimis frigidum. Horum medicamentorum regimine adiutorum vsu, Deo benedicente vix decimus expirauit.

V. In alio pago regnabat febris quædam acuta maligna, cuius symptomata ita se habebant. Primo homines inuadebantur siti, & lassitudine maxima, more malignarum febrium, quæ vomitus sequebatur, vena erat tenuis, & aluus lubrica, nec non præcordiorum anxietates, quietudines, capitis dolores, aliaque acutarum symptomata aderant. Quarto die summa cum exacerbatione maculæ in cute apparebant rubræ, quæ variæ figuræ lentis plerumque magnitudini respondebant, & in iis, qui mortem obibant, mutabatur color ille in lividum: Plethorici sæpe narium hæmorrhagiam, nec cum leuamine experiebantur.

bantur. Causam huius febris miasmati aëreo tribuebant, quod pecorum luem secutum est. Medicus illis, quibus pulsus fortis, durus & celer erat, venam iussit se- care, quod autem in illis, quorum pulsus debilis erat, vetauit, nec calorem maximum timebat in Venæsectione; dantur enim nonnulli, qui in calore solito maiori, ab illa abhorrent; sed tunc temporis nil magis necessarium esse potest, quam sanguinis missio repetita vice instituta. Iis, qui vomendi conatus sentiebant, ad vomendum radicem hypocacuanhæ propinavit Medicus; deinde pulueres præ- scripsit bezoardicos, in primis autem puluerem bezoard. anglicum cum camphora; vietus erat tenuissimus, potus- que largior, calidus & subacidus. Ægri sic leniter sudantes plerumque nono die euaserunt, e contra ii, quibus ægre vel nunquam sudor succedebat, mortem obibant septima die. Verum enim vero aliis supersedeo, hæc meis ex obseruationibus ducta, satisque notatu digna, omittere non potui, & existimo sufficere, quoniam Transpirationem sensibilem in plurimis morbis necessariam & saluberri- mam esse monstrant.

### §. 20.

Quædam adhuc de modo Diaphoresin excitandi super- sunt dicenda, ex multis hæ sufficere possunt obseruandæ conditiones. 1) ut materia cruda in primis viis euacue- tur, ne in sanguinem ruat. 2) ne vasa nimis sint re- pleta, & si vel maxime hoc esset, id quod pulsus durus, & fortis, venæque expansæ indicant, venæsectionem sua- serim. 3) ne cubiculum, in quo ægroris decumbit, vel nimis sit frigidum, vel nimis calidum, & si fieri potest, solis radiis oppositum. 4) aër vitandus est ille,



qui poros cutis occludere potest, & grauis, quia sub decliniori mercurii viui situ in Barometris ægrotum melius se habere, quam sub altiori annotarunt practici. 5) ne constrictis poris dentur diaphoretica. 6) ne moueatur sudor per valida sudorifera, quibus naturam cogere vellet Medicus, quod absurdum est: nam inde anxietates, deliria, capitis dolores oriri possunt. 7) vt sumantur cum diaphoreticis etiam calida infusa, ne si subtilior pars auolat, remanens inspissetur. 8) ne æger ad suffocationem vsque tegumentis calidis circumdetur, nec in cubile calidissimo, vt plurimorum peruersa opinio est, versetur. Nec minus hæ cautelæ quoque obseruandæ sunt. 1. Vænationem rarum inuenire locum in exanthematibus, in primis in eorum eruptione, nisi plethora hac indigeat; 2. hæmorrhagias, diarrhœas, vomitus, aliasque excretiones, si nimiæ sunt, boni ominis non esse, quia Transpirationem sensibilem imminuunt, adeoque Medici officium est, has excretiones, si nimiæ, nec criticæ sunt, sistere, ne illa in exanthematibus adeo necessaria interrupatur, quæ interrupta plenam vitæ minatur ruinam. Pariter 3. illi animi affectus in his morbis vitandi sunt, qui Transpirationem liberiorem minuere possunt; vt mœror, aliique. Ex hac ratione medica crediderim, nunquam consultum esse, rudius ægerto aperire, quod morbus ipsum tenens vitæ magnum periculum habeat, declarari quidem id, vbi obtinet, potest circumstantibus amicis, ne Medici fama ex ægri morte secutura forte periclitetur.

### §. 21.

Ex quibus omnibus hæc fluunt corollaria: Vehementer eos delinquere 1. qui Transpirationem negligunt.  
2. qui

2. qui illam constrictis poris ciere contendunt. 3. qui per sudorifera maxime calefacientia illam excitare conantur, v. g. in acutis febribus, in peste &c. 4. qui exanthesma validioribus sudoriferis ad eruptionem vrgere volunt, quia inde deliria, hæmorrhagiæ, aliaque proueniunt. 5. Chirurgos empiricos, qui tumoribus emplastra indiscriminatim superimponunt. 6. Chirurgos, qui erysipepelati oleosa & adstringentia temere applicant. 7. qui podagricis tumoribus repellentia & constringentia imponunt, vnde dira illa mala, colica lethalis, & asthma conuulsuum facilem originem petunt. 8. qui in scabie repellentibus & obstruentibus topicis vtuntur. 9. qui adstringentia in febribus intermittentibus statim in initio adhibent. 10. qui nullam venæfæctionem in exanthematicis morbis admittunt. 11. qui in exanthematicis nimis refrigerantibus indulgent. 12. qui eruptionis tempore venæfæctionem sine necessitate instituunt. 13. qui nimium sanguinis in morbis detrahunt. Sed alias errores eosdemque innumeros taceo; denique ex his omnibus adhuc fluit hoc porisma: Sanis Transpirationem insensibilem, ægris autem sensibilem magis conducere.

F I N I S.



NOBI-



N O B I L I S S I M O

A T Q V E

P R A E S T A N T I S S I M O

D O M I N O C A N D I D A T O ,  
D I S S E R T A T I O N I S A V C T O R I

S . P . D .

E I V S D E M P R A E S E S .

\* \* \* \* \*

*C*or Tibi rite salit ! Persius habet Satyr. III. sub finem.  
*A*pplico Tibi epigramma hoc Persianum, in primis quidem  
 propter mores Tuos probatos, tum vero etiam propter Tuam  
 eruditionem, Tuamque ipsiusmet de illa existimationem. Ob-  
 tulisti mibi banc Tuam dissertationem, de qua, ut faciunt,  
 qui secum habitant, ipse fateris in præfatione, quod ita con-  
 scripta sit, ut nullus dubites, quin desiderari multa in ea  
 possint, nec deerunt, auguror, qui carpent, tantoque minus,  
 cum, quæ veniam sæpe coruis dat, columbas tamen censura  
 vexet. Quod vero magis est, haud equidem dissimulo, ego si  
 elaborasssem idem argumentum, perfecisssem aliter, tam quoad  
 ordinem, quam quoad reliqua. Sed voluisti Tu Tuarum  
 virium

virium edere specimen, volui ego plenam ea in re indulgere Tibi facultatem, tantoque magis, cum & præscirem, Te parem esse specimini academico a Candidatis exspectato, & perfectam tractationem re ipsa ita comparatam esse iudicarem, huic ut scopo ex aſſe ſatisfaceret.

Itaque paucissimis mutatis talem reliqui dissertationem, qualem tradiſti mibi, pace tamen Tua quædam indicabo momenta, quibus equidem paulo curiosius eruendis inbiaſsem; Rechte quidem Tuæ, aliorumque obſervationes monent: transpiratione tam insensibili, quam ſensibili cutanea vigente valeare hominem, imminuta, ſuppreſſa, vel nimis auēta in morbos incidere, reſtituta redire ad sanitatem. Sed, quod frequens animaduerto Medicorum in argumentando vitium, heic quoque committere videntur, quando ex illis obſeruationibus inferunt: ergo ſemper transpiratio hæc eſt cauſa sanitatis, morborum, & reparatæ ſalutis, prout modo ſic, modo aliter ſe habet! Nimis profecto præcipites ratiocinando fuerunt, qui, poſtquam audiuerunt, legeruntue egregia ceterum iſta Sanctorii, Keiliique ſtatica experimenta, transpirationis mensuram propius determinantia, iam inueniſſe ſe putantes, quod in faba pueri, eouisque inuenti huius uſum extenderunt, ut ſibi persuaderent, iam baberi certum aliquod, & infallibile indicans, ad quod commode reducere liceat omnes viui hominis,



minis, eiusque partis corporeæ rationes. Quid enim, si largiar omnia illa experimenta statica, & admittam omnes obseruationes practicas & in Tua bac dissertatione prolatas, & alibi memoratas? An, quæ simultanea sunt, semper rationem habent reciprocam, ut causa habet ad effectum, vel eum certe, quem fingimus, inter se nexum, experimentum & obseruatio non indicat. Num in substrato casu non a quo iure suspicari liceret, transpirationem vigentem, nullo modo peccantem, esse sanitatis totius corporis effectum, alibi, male se habentem, effectum esse morboæ constitutionis internæ, alibi, ad æqualitatem reuersam associari redeunti sanitati, tanquam effectum restitutæ per vires Naturæ integratatis totius œconomiæ humanæ? Ego certe nullus dubito, quin plurimis in exemplis hic sit transpirationis influxus in sanitatem, in morbos, & expectatam ægrorum salutem. Ne tamen Tuis plane contradicere videar meditationibus, addo & hoc: non me inficias ire, posse quoque transpirationem, prouti sua libertate plenaria directe suam ad sanitatem conservandam confert symbolam, saepe directe, ubi mutatur, immunitur, supprimitur, augetur, procreare morbos, & viceissim, ubi suæ integritati redditur, eo ipso restituere sanitatem. Potest utrumque combinari facile, utinam liceret excurrere in specialiores deductiones!

Multoties etiam, ut neque hoc dissimulem, parum interest, num transpiratio mutata se habeat ad morbum tanquam causa, num tanquam effectus, num restituta sit causa reparatæ salutis, num vero huius demum effectus, modo insingulis casibus certa habeatur obseruatio, ad plenam illa reducta libertatem, vel aucta etiam ægrum habuisse melius, quin conualuisse. Imo vero haud raro, cum obruitur Medicus malorum, atque conditionum a sanitate deflectentium syndrome, in morbis præcipue complicatis, positis prioribus, singulari solatio ipsi esse potest hoc filum Ariadneum, cuius ope feliciter e malorum labyrintho educere possit ægrum; parum sollicitus, num consilia & medicamenta, quorum applicationi cedunt conditiones illæ, quorumque usum sanitas consequitur, directe transpirationem iuuerint, num vero conditiones illas internas directe remouerint, quibus præsentibus intercipiebatur ea?

modo itaque non coeco amore hanc amplectatur Transpirationis doctrinam Medicus Practicus, & applicet, ubi non applicanda est, & applicata nocere potest, id quod adeo difficile non est determinatu ex ipsis morborum conditionibus, quæ saepe ita comparatæ sunt, ut bene perspectæ nobis offerrant alia, multo grauiora, & euidentiora momenta, quæ suis petere, atque ferire debet Medicus indicationibus. Ali-



ter qui utitur hac doctrina, utitur ea ut plurimum tanquam ignorantiae suæ velamento. Sed hæc sufficient seuerioribus subiicienda meditationibus!

Transeo ad vota sincerissima, quæ Tua pro salute omnimoda meo voluo reueluoque animo; talem Te cognoui ex omni eo tempore, quo Te cognoscere licuit, qui multa, qui omni felicitate dignus esset, eam Tibi Supremum in Cœlis Numen iubeat affluere plenis riuis, huius Tibi gratosissima Prouidentia, quam toties iam celebrasti mibi, assignet quantocytus locum, & spartam, unde copia Tibi nascatur, egregias illas Tuas dotes, quibus emines, in Ipsius gloriam, Tuam salutem, proximique largissimos usus, lætissimam, uberrimamque medicam praxin ulterius producendi. DEVS Te amet, Tu vero me amare perge! Scripsi e Museo meo Nonis Februar. A. R. S. MDCCCLX.

